

Regesten zur Geschichte des Cistercienserstiftes Goldenkron 1560—1660.

Mitgetheilt von Ferd. Tadra.

(Schluss zu Heft II. S. 237—244.)

- 1637, 22. Januarii. Conventus S. Coronae post mortem sui abbatis invitatur arcenses ad faciendam inventuram.
- 27. Februarii. Relatio d. vicarii generalis, quomodo post mortem d. Andreae abbatis Eggenbergici obsignaverint cancellariam monasterii et cum vocati a d. vicario non comparuerint, ipsemet sigilla amoverit et electo abbati Joanni potestatem in spiritualibus et temporalibus tradiderit et quod contra illam obsignationem fuerit protestatus. Haec eadem relatio est confirmatio d. Bentii abbatis a vicario generali.
- Copia, per quam vicarius generalis commendat neoelectum principi Eggenberg et electionem se peregrisse perscribit.
- 15. Martii. Neoelectus abbas Joannes Bentius scribit abbati S. Crucis conquerendo de abalienatis bonis et vult potius resignare abbatiam, quam principi Eggenberg subiacere.
- 16. Martii. Quietantia a commissariis super deposita frumenta et pecuniam loco carniū pro regimine Don Balthasar.
- 19. April. Capitanei districtus petunt a monasterio currus pro devehendis 10 centenariis plumbi Pragae.
- 11. Maii. D. Joannes Greiffenfels vicarius generalis nuntiat d. Bentio de agente Pragae, cui negotium S. Coronae committi possit, sed transsumpto privilegiorum opus esse, ut processus formetur.
- NB. Hoc ad repetenda bona collimabat.
- 23. Maii. Rev. d. Joannes abbas scribit Rev. d. Schroffio, quod cogitet pergere Viennam propter negotium monasterii sui. Informaverat Rev. d. visitator illum quoque eo venturum in eadem causa Ex libro Altovad.
- 26. Junii. DD. capitanei districtus scribunt Joanni Theodorico abbati S. Coronae, quod velint juxta decisionem comitiarum circa subditos monasterii visitationem instituire, quare eos tempestive ad monasterium convocari faciat.
- 13. Novembris. D. Greiffenfels circa festum s. Andreae visitaturus ad monasterium venire disponit et in festo conceptionis B. V. M. d. Bentium benedicere paratus est, dummodo omnia pro hoc solemnī actu disposita sint.
- 6. Decembr. Abbas S. Coronae invitatur abbatem Altovadensem ad solemnitatem suae infulationis et rogatur, ut omnia apparamenta secum accipiat, quia haec in S. Corona non habentur.

- 1637, s. d. (Septemb.) Petitio ad Romanum imperatorem Joannis Theodoricus abbatis s. Coronae contra principem Joannem Antonium ab Eggenberg, ubi probat, vi illius donationis Ferdinandi II. tantum jus advocatiae et protectionis accepisse et non bona, quae imperator dare non poterat utpote non sua. Rogat igitur, ut ad bona restituenda et fructus per totum tempus possessionis perceptos una cum interesse restituendos compellatur.
- 1638, 20. Februarii. Joannes Theodoricus abbas S. Coronae petit aliquod subsidium ab abbate Altovadensi et conqueritur, quod sibi ad 50 partes de pecoribus perierint.
- 20. April. D. Joannes visitator petit a d. Bentio quantocius P. Augustinum pro confessario monialium Brunam mitti, item ut fratribus sollicite et paterne de victu et amictu provideat.
 - 25. Julii. D. Greiffenfels scribit, ut d. Bentius cum Altovadensi ad 10. Augusti quam citissime Pragam se conferant, ubi inter reliqua de monasterio Zarensi redimendo agetur, quod alias pro ducentis millibus aestimatum pro centum offertur, et ut in hunc finem d. Bentius 3000 secum adferat.
 - 12. Augusti. Datur hocce instrumento licentia a vicariatu Boemiae Rev. d. Bentio mutuandi 30 millia flor. pro redimendo et exsolvendo monasterio S. Mariae Zarae.
 - 13. Augusti. Hoc scripto ad S. Congregationem dato obligant se et promittunt d. abbates, quod pecuniam salis pro exstructione seminarii et eiusdem in futurum conservatione et studiorum promotione in perpetuum relinquere velint, nisi seminarium extingeretur, quod tunc pecunia illa in monasteria redire deberet voluntque, ut seminarium ordinis seminario archiepiscopali associetur paribusque favoribus pontificiis gaudeat Gubernationem autem super seminario Rev. vicario generali deferunt.
 - 26. Septembris. Rev. d. Bentius missus a d. vicario generali ad mutuandam pecuniam pro redimendo monasterio Zarensi, quid effecerit, rescribit, nil praeter spem acquisivit.
 - 30. Septembr. Rev. d. Bentius intimat d. visitatori, se jam iniunctum iter aggressum ad conquirendam pecuniam pro redimenda Zara, at parum ab Austriacis abbatibus sperare.
 - 9. Octobris. D. visitator intimat d. Bentio, Zaram esse iam in nostris manibus nempe ordinis et pro necessitate eiusdem monasterii a d. Bentio 3000 fl. ex tempore petit.
 - 6. Decembr. Postquam d. Greiffenfels cum principe a Dietrichstein de exsolutione monasterii Zarensis transegisset, pecunia destitutus rogat, ut d. Bentius quidquid potest subsidii pecuniarii adferat.

NB. Colligitur hic, quam sollicitus pro monasterio Zarensi d. Bentius fuerit.

1639, 14. Januarii. D. Joannes Greiffenfels gratias agit nomine ordinis et personae suae pro 1000 concessis et invitat pro introductione Zarensis monasterii.

— 19. Januar. D. Greiffenfels lamentatur, illos quos exaltavit sibi adversari et Zaram redemptam esse denuntiat.

— 12. Aprilis. Scribitur ex arce Crumloviensi, ut se d. abbas Bentius categorice declaret, an velit contributiones ad arcem deponere. (Salvo jure et sine praejudicio admittit et consentit abbas, ut contributio in arce deponatur, quod quidem ante factum non fuisse constabat.)

— 27. Julii. Assignantur pro dominio Crumloviensi 1915 milites inquantirisandi.

— 2. Augusti. Scribit d. Valentinus Praun Crumlovio, quod iuxta ordinationem et mandatum imperatoris ipsius semiquinta compagna equitum Mislík in dominio Crumloviensi et incorporatis monasteriis non tantum inquantirisari sed etiam iisdem restantia 16 fl. solvi debeat, in quem finem media compagna pro monasterio assignatur.

NB. Consideretur proportio, nostro soli misero monasterio media compagna assignatur.

— 3. Augusti. D. abbas scribit Valentino arcis officiali, quod male monasterio S. Coronae imponatur media compagna militum, velle tamen parere commissariis regiis.

— 3. Decembris. D. Bentius scripserat cuidam comiti, sibi ex mala informatione pro uno possessionato 30 kr. deponendos assignatos fuisse et conqueritur, quod tali modo in triplo plus dare deberet et quod officiales arcenses pro libitu suo assignationes ponant. Ultimo quod libenter id contribuerit, si mandatum aliquod a capitaneis districtus accepisset.

— 16. Decembr. Assignantur dominio monasterii a commissario pro loci ratione 15 equites et sustentatio pro illis.

1640, 9. Maii. Litterae Ferdinandi III. ratione salis, quem ad credit pro sua utilitate subditi monasterci solebant Budvicium vehere, mandat itaque, ut semper ipsis (ne praefectus salis conqueri habeat) aliqua scheda detur, qua ipsis fides haberi possit (NB. Unsers Stifts)

— 13. Julii. Supremus arcis capitaneus conqueritur d. Bentio, se graviter ac injuriose ab illo inculpatum fuisse ob inquantirisatos milites in monasterii pagis petitque imposterum, ut ab huiusmodi inconsideratis injuriis desistat.

— 18. Decembris. Petunt arcenses a monasterio constantem consignationem 2 septimanarum, quot in contagione, quo morbo, qua aetate et quo loco mortui sint.

1640, s. d. Consignatio facta a monasterio, quot in dominio monasterii S. Coronae tempore contagionis sint mortui, videlicet 142 personae.

(Aus diesem und dem folgenden Jahre sind viele Quittungen über Geld- und Proviantlieferungen an die Soldaten.)

1641, 19. Januarii. Georgius Marschan petit ab abbate Bentio confessionales de vino et contributionem inde assignatam. NB. Bentius noluit fateri, se aliquid de vino habere et significavit, quod praeter in sacro alias nullum vinum bibit. Sed monet illum Marschan amicabiliter, ut saltem propter scandalum aliquid fateatur, quia incredibile dicit, ne in mensa vinum habeat.

— 19. Februarii. Rev. d. Martinus praepositus Plagensis gratanter suscipit et recipit hospitio Rev. d. Bentium cum suis pulsum ex monasterio S. Coronae ab hoste.

— 21. Februar. Fr. Simon scribit Rev. abbati, quod commendans Crumlovii commorans tempore hyemis voluerit dimitti ad aliquot dies piscinam in Langbruck, ut aqua in Moldava cresceret, et dragauneri Crumlovio excurrentes ob metum hostis combusserunt pontem in Rojaw.

— 18. Martii. Zeissl informat d. Bentium, quod 40 Suecorum monasterium invadere voluerint, sed repulsi assumptis secum pluribus se redituros minabantur, petit proinde consilium, quid factu opus, si fortiores venerint, ne si iisdem resistatur monasterium in cineres redigant et homines mactent, sicuti in aliis locis fecerunt.

— 17. Maii. Abbas S. Coronae respondet commissariis caesareis, quotam contributionis a se petitam debite d. Marzan deposuisse, videlicet 160 fl. pro Aprili, patientiam secum haberi petit, quia ob paupertatem subditorum colligere eam non potuit.

— 24. Maii. Abbas Cremiphanensis per suum hofmeisterum se informatum scribit, d. Bentium aliquot millia Plagae in deposito habere, quae ad censum elocare velle et rogat d. Plagensem, ut capitale aliquod per suam interpositionem ei concedendum obtineret.

— 24. Maii. Idem scribit d. Bentio, depraedicatas sibi fuisse actiones laudabiles d. Bentii et conqueritur de magnis contributionibus, quas loco subditorum se solvere debere; petit sibi concedi 4000 fl.

— 28. Maii. Praepositus Plagensis intercedit apud d. Bentium pro abbate Cremiphanensi [vide supra].

— 29. Maii. D. Bentius promittit, se concessurum d. praelato Cremiphanensi 2000 fl.

1641, 17. Junii. Archidiaconus Crumloviensis scribit d. Bentio, ut juxta mandatum archiepiscopi specificet, quot religiosos habeat extra monasterium, quamdiu parochizent et parochizaturi sunt.

Abbas respondet archidiacono, quod religiosi sui ideo parochizent: 1. Ex privilegio summi pontificis. 2. Quia a d. cardinale investiti et ad Ven. consistorio approbati. 3. Quia propter tenues redditus parochias nostras ecclesiastici non ambiunt. 4. Quia licentiam habent a suis superioribus.

— 19. Julii. Confessionales d. Bentii, quod per Januarium, Februarium et Martium nullam braxaturam fecerit, cum una cum conventu ob metum hostilem abfuerit, ab initio autem Aprilis usque ad tempus praesens fuisse braxata 10 vasa, pro quibus taxam 16 fl. mittit.

— 23. Augusti. Capitaneus arcis Crumloviensis Germersheim insinuat, quod aquaeductus ad molam Longopontensem sit destructus et renovari aut novus compendiosior fodi debeat; quia autem novus, si foderetur, fundum monasterii subditorum aliquantum tangeret, super hoc consensum petit. (Fuit datus, quia plus utilitatis novus aquaeductus subditis monasterii quam antiquus adfert.)

— 24. Augusti. Copia obligationis a d. abbate Cremiphansensi super 2000 fl. sibi a d. Bentio concessorum.

— 25. Augusti. Praesidente d. visitatore assistentibusque dd. abbatibus Hilariae et S. Coronae electus est in abbatem Georgius Wendtschuch. (Ex libro Memorab. Altovad.)

— 22. Septembris. Intimatur ex arce Crumloviensi, quod ad revisionem subditorum possessionatorum (qui tam per hostem et caesareum militem minorati sunt) commissarii Crumlovium venient et an Rev^{us} suos possessionatos revidendos velit, ut eosdem commissarios salutet. Quantum autem de siligine et pecunia quisque possessionatus dare debeat et etiam parochi, intus clausa specificatio docet.

1642, 1. Junii. Georgius abbas Altovadensis discessit a monasterio, 7. die venit Welehradum ad Greiffenfels visitatorem et ab eo petiit dimitti ab onere abbatiali, unde 10. huius a Sueco pulsus venerunt in Skalitz Ungaricum, tandem Neostadium et Viennam etc. (Ex libro Memorab. Altovad.)

— 1. Septembris. Rogat d. Germersheim capitaneus Crumloviensis apud d. locumtenentes, ut d. abbati (qui querelam bohemicam contra se ad locumtenentiam dedit) demandent, eandem germanico idiomate sibi communicari, cum et abbas natione Germanus sit et etiam iuxta constitutiones regni accusator reum sequi debeat in lingua.

- 1642, 18. Septembr. Joannes abbas Coronensis insinuat abbati Altovadensi, quam egregium tutorem in principe Eggenberg habeant.
- 5. Octobris. D. Bentius abbas accusat capitaneum Crumlov., quod monasterii subditos secantes pro monasterio ligna arresterit gravissime et lignorum prope 80 orgias sectorum Crumlovium armata manu avexerit, rogat itaque pro decreto contra eum a dd. locumtenentibus.
- 7. Octobris. Orig. decreti dd. locumtenentium datum monasterio contra d. Germersheim, quod sectionem lignorum impedire voluit.
- 27. Octobris. Invitatur d. Bentius ad investendum archidiaconum Crumlov. d. Georgium a Bilenbergk ex commissione Em. cardinalis ab Harrach.
- 10. Decembris. D. visitator molestus a d. Bentio in conscientia abalienata injuste bona et jura monasterii debere repetere asserente, humanissime prorsus repetit ea a principe de Eggenberg adferendo spiritualia motiva multa confiditque plus ex innata clementia sine strepitu juris quam primum facturum, sed frustra. (NB. Litteras istas dedit d. visitator regi Crumloviensi in capella s. Venceslai Pragae, qui promisit eas ad principem directurum.)
- 1643, 13. Februarii. Supplicatio Joannis Antonii ab Eggenberg ad imperatorem, ne permittat incorporatum dominium S. Coronae separari ab arce propter contributiones eo deponendas.
- 20. Februarii. Decretum Ferdinandi III., ut Altovadum et S. Corona non separantur ab arce ratione contributionum.
- 14. Martii. Ferdinandus III. petit sibi a monasterio sub censum concedi 250 fl. in bellum exponendos, ubi ait se personaliter in campum iturum. (NB. Caesar reputat abbatem inter status.)
- 11. Aprilis. D. vicarius generalis significat abbati Coronensi, velle contra principem Eggenbergicum ratione monasterii S. Coronae et Altovadi actionem incipere et petit sibi per postam mitti Viennam legitimum Vidimus privilegiorum monasterii praetensionum omnium et copiam cessionis bonorum Crumlov. principi, quibus habitis mox processum formaturum et rem incepturum se dicit.
- 19. Julii. D. Greiffenfels suadet d. Bentio, ut positis gravaminibus apud locumtenentes se excuset, quod juxta petitem Suae M^{tis} subvenire non possit. Narrat etiam, monasterium Tischnoviense et Zarense ab hoste spoliatum. Contra Eggenbergenses memoriale d. Bentii esse porrectum dicit.
- 21. Augusti. Monetur abbas, ut operarios mittat Budvicium pro munitione.
- 18. Octobris. Quietantia a supremo commissario seu inspectore super fortalium Budvicense super devecta ligna arbores molles 200, asseres 200.

1643. Citantur omnes status Bohemiae ad regia comitia Pragae celebranda 9. Novembris.

NB. Si etiam Bentius ivisset! Non ivit et successoribus sessionem in comitiis perdidit. Fuit tunc infirmus.

1644, 20. Januarii. D. Bentius scribens ad d. abbatem Sedlicensem excusat, quod ob metum militum promissam vaccam non mittat, item quod undique milites versus S. Coronam accellerent.

— 26. Januarii. Abbas S. Coronae scribit visitatori, quod undique cinctus sit angustis subdereque se arci Crumloviensi nolit, perdere etiam suos non velit, neque privilegiis s. ordinis derogare quid intendat. Consultit quid faciendum. Vult conquiri locumtenentibus, si ita visitator iudicat.

— 29. Januarii. Revisitatio domini S. Coronae a commissariis facta, qui ex 23 possessionatis, pro quibus monasterium contribuere debebat, nonnisi undecim et medium pauperrimos et ruinosos se invenisse fatentur, reliquas possessiones desolatas, unam et mediam combustam fatentur.

— 25. Februarii. Abbas S. Coronae apud comitem Slavatam, supremum commissarium districtus Bechinensis, se excusat, quod ad fortificationem Budvicensem homines et materiam necessariam mittere nequeat propter fugam plurimorum subditorum.

— 9. Maii. D. Greiffenfels petit sibi a d. Bentio concedenda 3000 fl. ad contentandum d. episcopum Viennensem, qui pro redimenda Zara aliqua concesserat.

— 13. Octobr. Contributionum susceptores monent d. Bentium, ut propter contributiones Taborii deponendas sine mora aliquem eo mittat vel in persona propria compareat, alioquin in bona monasterii se inducturos executores minantur.

1645, 14. Januarii. P. Jacobus Martini prior Aulae Regiae scribit d. Bentio, exercitum caes. in Moravia gravia damna etiam monasteriis inferre, idemque facere Suecicum circa Zatecium, ibi a Grecensi tantum monasterio 600 imperial. 3 bonos equos petunt, rogatque pro coemendis 100 modis avenae, cum ad 10 milliaria circa Pragam haberi non poterit. Significat quoque, quod pro studiosis S. Coronae nova curaverit pallia.

— 31. Martii. Magistratus Neo-Castrensis informat officialem monasterii Urbanum Adelberger, quod miles Suecicus numero 100 prope civitatem Weitra advenerit et ad civitatem tubicinem miserit, ut ad contribuendum cives consentiant, qui eidem pro responso dedere, esse se paratos plumbum et pulverem contribuere.

— 2. April. D. Martinus praepositus Plagensis scribit d. Bentio, praelatum Cremphanensem libentissime accepturum ad praecedentia adhuc alia 2000 fl. Nova scribit, hostem civitatem Krembs in Inf. Austria occupasse, uti et passum Danubii.

1645, 23. Maii. Suppetiae a consistorio petuntur ab abbate Bentio ex thesauro ecclesiae pro necessitate publica.

— 1. Decembris. Attestatio Hieronymi Matthiae Schanzmeister et civis Budvicensis, quod monasterium S. Coronae concernentes se robotas cum 10 viris et duobus curribus per totam aestatem in fortificatione Budvicii ordinate perfecit.

— 9. Decembris. Scribit Roma Fr. Hilarion abbas et generalis procurator ordinis Cisterciensis, ubi promulgat confirmationem electionis Rev. d. Wausin in generalem ord. Cisterc.

— 12. Decembris. Revisitatio domini S. Coronae a commissariis d. Leone Kolchreiter et d. Joanne Albrechto Czastollar facta, qui ex undecim possessionatis nonnisi quatuor et medium invenisse se testantur.

1646, 10. Augusti. Cardinalis ab Harrach scribit (ut videtur archidiacono Crumloviensi), ut det sibi relationem, quidnam novitatis abbas S. Coronae contra antiqua jura principis in ecclesia Cajoviensi incipiat. (Capitaneus arcis Crumlov. conquestus est.)

— 31. Octobris. Revisitatio domini S. Coronae a commissariis, qui ex 4^{1/2} possessionatis nonnisi tres sat miseros se invenisse testantur.

1647, 3. Aprilis. Capitaneus Germersheim scribit ad commissarios districtus Bechinensis, conquerens de magna imposita dominio Crumloviensi repartitione. Item monasterium S. Coronae non esse ab arce separandum in repartitionibus.

— 15. Aprilis. Respondetur ei negative Taborio et quod abbatem S. Coronae concernit, abbatem iis commissariis supplicasse et oretenus lacrimantibus oculis exposuisse, monasterio et subditis eius onera inaequaliter injuriose ab arce imponi, proinde assignationem quanti manifestari sibi petuisse, quod ei hoc intuitu, ne ei injuria fiat ab arce, non ut ab arce separaretur, factum perhibetur.

NB. Copia est communicata a d. Malowecz.

— 2. Junii. D. Bentius citatur Taborium ad commissionem tanquam unus ex deputatis, in qua circa militarem sustentationem tractabitur.

— 6. Junii. D. Bentius excusat suam absentiam

1648, 9. Januarii. Scribit d. Joannes abbas Aulae Regiae et vicarius generalis, se statuisse, omnes abbates totius vicariatus convocare et consilia cum illis tractare, ideoque ut d. Bentius etiam ad 14. Februar. Pragae compareat omnibus, quae monasterio vel ordini prodesse possunt, secum acceptis, monet.

— 22. Aprilis. Visitator supplicat ad imperatorem pro sessione obtinenda abbatibus S. Coronae et Altovadi, adducit textum ex constitutionibus regni, etiam fuisse rem in usu.

1648, 3. Julii. D. Greiffenfels scribit d. Bentio, ut cum Suae M^{tis} jam licentia sit, ut circa recuperationem bonorum contra principem ab Eggenberg via juris procedatur, a scissa scheda initium fiat, cuius copiam transmittit corrigendam quoad nomina pagorum et post correctionem in nomine domine procedendum.

— s. d. D. Bentius rogat a capitaneo districtus confirmari Bekandtnussbrieff et rogat, ut faciat arcensibus inhibitionem (qui Suecicos milites miserunt ad monasterium, ut Brandsteuer ipsis solvatur), ne supra monasterium absque hoc omnibus iam spoliatum tales assignationes Svecis faciant injustissimas.

Ergo non protegebant monasterium Eggenbergici, sed devastare studebant.

1649, 19. Martii. Visitator Greiffenfels et d. Bentius per excissas litteras repetunt a principe Eggenberg dominium S. Coronae; sed non videntur missae, immo et istae litterae non sunt cum sufficienti praevio examine, ut restituat intus specificata bona monasterio.

— 3. Julii. Memoriale Rev. domini Greiffenfels vivente d. Bentio abbate porrectum imperatori, quo supplicat pro libertate monasterii Altovadensis et S. Coronae et pro recuperatione bonorum S. Coronae, praeclare elaboratum (NB. Super hoc memoriale videtur obtinuisse visitator resolutionem et licentiam caesaream, ut revisitationem bonorum S. Coronae quaerat via juris, prout litterae eiusdem d. visitatoris a. 1648, 3. Julii demonstrant et consequenter memoriale hoc ad annum antecedentem aut plane a. 1647 est referendum

— (Augustus). Vocatur d. Bentius ad comitia Budvicium a cardinale ab Harrach.

1650, 15. Julii. Duplex contractus super bonulum Geblan inter d. Lambertum Legrandt venditorem et monasterium emptorem.

1651, 16. Februarii. D. Jacobus Martini vicarius generalis scribit, 1. se a creditoribus nimium molestari ob contracta debita propter redemptionem Zarae, 2. quod velit incipere actionem contra principem Eggenbergicum, 3. quod velit in consistorio protestari, non competere arci jus praesentandi parochos in Netoliez et Tisch, 4. ut intercedat pro indulgentia in solvendo debito Rev. d. Canpoliliensi apud Rev. S. Crucis, 5. cupit consilium, an debeat pergere ad capitulum generale.

— 1. Martii. Visitator Jacobus Aulaerensis consulit d. Bentium de itinere Cistercium suscipiendo et petit chartas biancas pro necessitatibus monasterii.

— 10. Maii. Litterae capituli generalis ad caesarem, quibus commendantur illi monasteria Coronense et Altovadense, ut illa in protectionem suscipiat et bona abalienata restituat.

(NB. Capitulum generale citat privilegium Conradi imperatoris, qui statuit, ut nullus alius advocatus recognoscatur, quam ipsemet imperator.)

1651, 16. Augusti. D. Jacobus abbas Aulaereg. et vicarius generalis intimat mortem P. Thomae prioris ibidem et quod Viennam sit discessurus, ubi negotii Eggenbergiei initium facturum se pollicetur.

— 10. Novembris. Rescriptum caesareum, ubi locumtenentibus mandatur, ut percipiant differentiam inter principem ab Eggenberg et monasterium S. Coronae ratione census monasterio debiti et usurpati juris patronatus.

— 13. Decembris. D. Jacobus vicarius generalis scribit Praga ex consilio d. Pachtæ obtinuisse Suae M^{tis} decretum de habenda commissione cum principe ab Eggenberg ob restitutionem bonorum, interrogat, quales commissarii petendi sint.

1652, 31. Januarii. Jacobus abbas vicarius generalis scribit d. Bentio, ut Bernardus Pacman ex parochia removeatur et cum P. Paulo Petermüllner ad se mittantur, Bernardum professorem Pragae habere vult. In comitiis scribit esse conclusum, ut omnium districtuum subditi revisitentur et in quolibet districtu capitaneis adiungatur abbas. (NB. In districtu Bechinensi dicit capitaneis adiunctum esse d. Bentium.)

— 16. Octobris. Copia instrumenti, quo d. Jacobus visitator loco sui delegat d. Wendschuech, ut controversiam (quae inter capitaneum Crumloviensem et abbatem Coronensem ratione non depositi et annuatim debiti census duraverat) componere adlaboret, salvis tamen privilegiis et juribus monasterii.

— 30. Octobris. Abbas Altovadensis recusat esse mediator inter capitaneum Crumlov. et abbatem S. Coronae.

1653, 10. Martii. Litterae confessionales super pagos, possessionatos, inquilinos, parochias et parochos spectantes ad S. Coronam. (NB. Hae remissae sunt a commissariis, eo quod non bene accepti sint chaluperi et dant instructionem, quomodo accipiendi sint.)

— 15. Novembr. Domini commissarii Caplicio scribunt d. abbati, quod in eius praesentia ponderosa habeant communicanda et ut omnes suos subditos una cum scriba suo eo citari faciat.

1654, 13. Aprilis. Rev. Jacobus Aulaeregensis mittit descriptionem subditorum iuxta modum districtus ponendam, et quod in comitiis ratione pontis exstruendi in Rojaw nihil notum sit etc. Item quod Rev. generalis Germaniam, Boemiam etc. visitaturus

14. Aprilis Parisiis exiverit.

1655, 12. Augusti. Mandant d. locumtenentes d. Bentio, ut cum post querelam domini Germersheim a bernis informationem acceperint, subditorum monasterii contributiones et Bekandtnuss-

brieff ad arcem Crumloviensem ab aliquo tempore fuisse consuetum deponere, easdem deponat etiam d. Bentius ibidem ad evitandas confusiones.

1656, 25. Augusti. Copia litterarum ad quaestorem Crumloviensem, quibus excusantur subditi, quod non possint integram contributionem solvere, cum maximum damnum sint passi per tempestatem, quae illis omnia frumenta concussit, et quod abbas jam petierit commissarios ad revidendum damnum a capitaneis districtus.

1657, 14. Martii. Ferdinandus III. suis locumtenentibus in Boemia mandat, ut intiment monasteriis, quae de statu regni sunt, quatenus modum in visitationibus et electionibus abbatum intus specificatum observent.

— 6. Aprilis. Conventio sigillis capitaneorum districtus roborata ratione lignorum pro ponte Rajoviensi.

1658, 17. Aprilis. DD. locumtenentes insinuant abbati S. Coronae mandatum Suae M^{ts}, ne fiat visitatio in regiis monasteriis neque electio abbatis sine praevia insinuatione et consensu a Sua M^{te} obtento, ita ut semper adsint commissarii deputati ab eadem Caes. M^{te}.

1659, 24. Januarii. Decretum locumtenentium ad supremum capitaneum Germersheim, ut (si abbas S. Coronae pontem Rajovii aedificare nollet) ad ipsum tanquam plenipotentiarium praelati Immediat — Obrigkeit jus pontem aedificandi una cum exigendo telonio devolvatur. (NB. Dicunt dd. locumtenentes, in politicis esse principem praelati Immediat — Obrigkeit, sine dubio ex mala informatione.)

— 10. Februar. D. Bentius respondet dd. capitaneis districtus, quod iuxta conventionem primam cum d. commissariis factam curaverit per suos homines secari ligna pro ponte, sed dum petit pro lignis devehendis promissas vecturas, denegatas esse lignaque distracta ab arce fuisse. Non pridem submersum aliquem Rajovii negat, sed bene apud arcensem molam Crumlovii coactos sectores glaciei 3 vel 4. Negat praeterea monasterii subditos subjacere arci et contra hoc protestatur.

— 17. Junii. D. Bentius respondet dd. capitaneis districtus, se paratum reaedificare pontem et rogat, ut mandent capitaneo Crumloviensi, ut ligna qualificata extradat iuxta conventionem a. 1657, esse absque hoc silvas monasterii. Item mittit descriptionem diplomatatis, quo conceduntur ligna in silvis monasterii Rosensibus et aliud super hoc decretum dd. locumtenentium. (NB. D. Bentius in his literis scribit, quod exhibuerit originale d. supremo burgravio de Martinicz, in quo datur licentia Rosensibus utendi silvis monasterii pro foco et aedificiis tantum.)

1661, 4. Julii. † d. Bentius abbas S. Coronae.